

IOAN. MONTISDOCCA HISPALENSIS <sup>1</sup> SCHOLASTICIS  
PATAVINIS. S.

Nicolaus Leonicus ille undecunque doctus disciplinæ Platoniciæ et Aristoteliciæ plane eruditus totius antiquitatis et bonarum literarum consultiss. uerterat aliquando in latinum quæ uulgo *Parua naturalia* dicuntur, opus aureum et frugiferum, miro quodam et salutari temperamento, ut neque uerbum uerbo redderet, et ipsi authori nullam uim afferret, non priuatæ iactantiæ studens, sed publicæ legentium utilitati prospiciens. Adiecerat commentaria meo iudicio ualde probanda, partim latinos partim græcos authores imitatus. Perfectum opus erat et absolutum, expectabatque tantum supremam manum; ipse tamen (ut est omnium modestissimus) adhuc hæsitabat et recrastinabatur. Forte fortuna uenio ad eum salutandum quodam die. Is me comiter et benigne excepit (ut est obuius et expositus omnibus, summaque humanitate et dexteritate præditus), quumque, post longum et copiosum sermonem de communibus studiis ortum, legisset mihi scripta sua, maximam cepi uoluptatem, studiosorum nomine hortatus ut quam primum illa ad communem omnium utilitatem publicaret. Reluctatus est aliquandiu (fateor), postremo quotidianis præcibus, interdum etiam conuiciis, extorsimus ut morem nobis inuitus gereret. Habetis ergo mea opera uigilias hominis optimi et eruditissimi uobis (ut spero) summe placituras et studiosis omnibus magno adiumento futuras. Quas, quæso, legite diligenter et accurate, posthabitis omnino recentiorum authorum præstigiis, aut ego fallor, aut dicetis idem quod ego sentio, his multis annis nihil eiusdem generis omnibus numeris perfectius in lucem exiisse. Valete, iuuenes nobiliss., et proficite et, maiorum uestigiis nixi, ingenue me docente operam philosophiæ impendite, explosis e gymnasio isto nostro Sophistarum cauillamentis et nugis.

Patauii, M. D. XXII. Klen. octobris.

Vient ensuite une épître dédicatoire intitulée *N. Leonicus Tho-*

---

1. Jean Montisdocca de Séville était alors professeur de philosophie à l'université de Padoue. Il avait été chargé de cet enseignement, le 3 septembre 1520. Voir J. Facciolati, *Fasti Gymnasii Patavini*, t. II, p. 274.

